

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber  
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XXVI. Quam bonum est hominem saepius commnicare.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

sima apotheca tam large profluxerunt, quod cœlum et terram impleverunt. Primum est aqua illa rosacea quam amor divinus ex rosa illa nobilissima, Dominico scilicet pectore, in camino decoxit charitatis: hoc unguento utaris proablutione faciei animæ tuæ, recogitans diligenter, si aliquam invenies peccati maculam, quam ores ablui hoc fonte misericordiæ quo latronem lavit in cruce. Secundum unguentum est vinum illud rubeum, sanguinis scilicet sanctissimi, quod torcular expressit in cruce, et cum aqua eduxit de Cordis ejus roseo vulnere; ex quo petas animæ tuæ faciem colorari, ut tanto convivio possis digne aptari. Tertium est supereminens et superaffluens divini Cordis inæstimabilis dulcedo, quam nec mortis potuit minuere amaritudo; et dicitur unguentum balsamicum, omnem vincens odorem aromatum, et valet ad omnem animæ languorem. Hoc unguentum petas infundi cordi animæ tuæ, ut gustet et sentiat quam suavis est Dominus, et gustata ejus suavitatem impingueris, dilateris, et incorporeris ei qui se tibi tales dedit per amorem. Et cum nullam ex omnibus prædictis sentis suavitatem, petas ut in dulcissimo et fidelissimo amatore tuo perficiatur, et ut ipsi sapiat tua insipiditas, ac in ipso servescat omnis tua tepiditas; ipseque solus glorificetur in omnibus operibus tuis, hic et in futuro. »

Cordis  
divini aqua  
lavat, sanguis  
ornat,  
dulcedo  
fovet  
animam.

## CAPUT XXVI.

QUAM BONUM EST HOMINEM SÆPIUS COMMUNICARE.

**C**um etiam oraret pro quadam quæ sæpius communicare trepidabat, Dominus respondit: « Quo sæpius homo communicat, eo purior anima efficitur, sicut quo frequentius

Per  
communio-  
nem anima  
Deo  
immersa  
ac dilatata.

quis aqua abluitur, eo mundior redditur. Quo etiam sæpius communicat, eo amplius ego in eo et ipse in me operatur, et ejus opera magis sanctificantur. Et quo studiosius homo communicat, eo profundius mihi immergitur, et quanto plus divinitatis penetrat abyssum, tanto amplius anima ejus dilatatur, et capax divinitatis efficitur. Sicut quo sæpius aqua in unum defluit locum, eo profundius ipsum cavat, et ad magis influendum reddit aptiorem. »

## CAPUT XXVII.

QUALITER COR HOMINIS CORDI DEI SIT UNITUM.

Cor hominis  
divino  
unitur per  
desiderium  
opera, et  
voluntatem.

**D**UM vice quadam sacratissimi corporis Christi percepisset sacramentum, post dulcia cum ipso colloquia, visum est ei quasi Dominus acciperet cor animæ et comprimeret illud Cordi suo, ita ut in unam redigerentur massam. Et ait : « Sic volui ut hominum cœra mihi per desideria essent unita sic, ut homo nihil sibi desideraret, sed omnia desideria sua secundum Cor meum disponeret, sicut duo venti insimul flantes unum aerem spirant. Secundo, uniri mihi debet in omni operatione sua, ut verbi gratia, cum dormire sive comedere debet, dicat in corde suo : Domine, in unione amoris quo istud commodum mihi creasti, et ipse in terris tali commodo uti voluisti, tibi in æternam laudem, et corporis mei suscipio necessitatem. Similiter in injuncto sibi opere faciat, dicens : Domine, in unione amoris quo te in laboribus exercere dignatus es, et adhuc in anima sine intermissione operaris, et nunc mihi hoc opus injunxisti, tibi ad laudem pro utilitate universitatis illud facio, quia dixisti :